

bent per se, et non ope ministri, licet superpelliceo induti, et sacerdotis, Missale aperire, eiusque folia vertere, calicem in sacristia cum hostia praeparare, ad altare illud deferre, discooperire, tergere, vinum et aquam infundere, atque post communionem cooperire, et ad sacristiam reportare (S. R. C. pluries 7 Sept. 1816). Et quamvis dicatur quod, ex S. Pii V privilegio, liceat in Hispania « (privilegium istud extensum fuit etiam ad Americam hispanam) » ante Missam calicem ad altare deferre et corporalia extendere, hoc ab ipsomet celebrante, vel a clerico in sacris constituto, in casu fieri potest, nunquam vero a ministro laico, cui nefas est vasa sacra et corporalia tangere; ideoque prohibemus, ut ipsi hoc numquam permittatur.

XIII. — Antiquitus fideles inter sacrificium offerebant panem et vinum ex quo Eucharistia conficeretur, et sacrorum ministri alerentur. Huius oblationis in locum, posterioribus saeculis pecuniam dare consuetum est, non ut consecrationis pretium offeratur, sed ut sacerdos sustentationi suae stipendium habeat; aequum enim est, ut, qui altari inservit, de altari vivat (1 Cor. ix, 13), ideoque huiusmodi stipendium nulla simoniae labe inficitur, si in illo recipiendo statutae ab Ecclesia leges inviolabiliter servantur (S. Thom. 2^a 2^{ae}. Quaest. 100, art. 2 ad 3). Ad Episcopum Ordinarium pertinet Missarum stipendia, vel eleemosynam determinare pro locorum adiunctis, et praeter taxam nemini licet aliquid quovis titulo exigere: si tamen sponte a fidelibus offeratur, illud excipere potest sacerdos. Etiam pro Missis, quae certis horis celebrari debent, et poenales vocantur, ratione laboris et molestiae maius stipendium percipere permittimus, ab Episcopo approbandum, si de perpetua agatur fundatione seu onere.

XIV. — Quum nihil sit quod tam pietatem offendat, immo ab ipsa retrahat sacrificii oblatione, quam illud, quod peccatum grande nimis in veteri hostiarum immolatione appellatur (1. Reg. ii, 17), quodque Concilium Tridentinum imprimis execratur, et ab Episcopis omnino eliminandum, iubet (Sess. xxii, decret. *De observ. et evitand. in Missae sacrif.*), nempe quidquid est simoniaca labe, vel turpi quaestu infectum, aut non longe abest, uti conditiones, pacta, necnon importunae atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes, Episcopi, auctoritate etiam Apostolica qua pollent in omnibus ad magnum hoc sacrificium spectantibus (Id. id. Ben. XIV, Const. *Accepimus*), abusus exterminent, si quos in hac re deprehenderit, prae oculis habentes Constitutionem Pii Papae IX *Apostolicae Sedis*.

XV. — In memoriam denique omnibus revocamus decretum Sacrae Congregationis Concilii, quo declaratum fuit, esse mercimonium, ab Episcopis coercendum, bibliopolarum vel mercatorum agendi rationem, qui adhibitis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo eleemosynas Missarum colligunt, et sacerdotibus quibus celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros, aliasve merces rependunt, etiamsi nihil ex eleemosyna imminuatur, et pauperibus sacerdotibus ita subveniatur, vel operi pio applicetur lucrum ex eleemosynarum permutatione haustum. Item ad hoc turpe mercimonium concurrere, qui acceptas a fidelibus, seu piis locis eleemosynas, bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus tradunt, sive aliquid praemii, sive non, ab eis recipiant, quique ab eis pro Missis celebrandis, libros aliasve merces recipiant, sive harum pretio imminuto sive integro. Curent Episcopi ut

omnino serventur praescriptiones S. C. Concilii diei 25 Maii 1893.

TITULUS III.

DE CULTU ET EXPOSITIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI.

Quum in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento Dei Filium praesentem adesse credamus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum, dixit: « et adorent eum omnes angeli Dei » (Hebr. 1, 6), quem Magi procidentes adoraverunt (Matth. 2, 11), quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur (Id. 22, 39); nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto, patriae cultum, qui vero Deo debetur, eidem exhibere debeant (Conc. Trid. Sess. XIII, cap. 5). Ut ergo vividius incitarentur fideles ad hunc cultum praestandum, accedentes cum fiducia ad thronum gratiae (Hebr. 4, 16), unde tot tantaque beneficia hominibus distribuere paratus est benignissimus Deus, cuius deliciae habitare cum filiis hominum (Prov. VIII, 31), quique omnes peramanter ad se invitavit dicens: « venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos » (Matth. 11, 28) publice et solemniter Sanctissima Eucharistia in templis proponi coepit. Ex quo venerando universalis Ecclesiae more, uberrimi fructus fervoris, et Deo acceptissimae devotionis colligi ab omnibus possunt, uti viri sancti, qui nostram illustrarunt regionem percepisse novimus, dum frequentissime ac diutius coram Sanctissimo Sacramento fide pleni et caritate ferventes in oratione perseverabant. Optamus itaque ac desideramus hunc Sacratissimae Eucharistiae cultum ubique promo-

vere, non tantum ut excitentur Christifideles ad reverentiam, quae Dei Filio debetur, praestandam; sed ut merito honore reparentur tot iniuriae ipsi augustissimo Sacramento illatae ab impiis hominibus, qui satanico ducti spiritu templa Dei polluere, tabernacula profanare, Sacratissimam Hostiam sacrilego ausu in terram deiicere, pedibusque conculcare non reformidant.

Ut tamen omnia rite sancteque in hac re perficiantur, et ne cultus fervorem tepescere, et finem sacrae liturgiae impedire contingat, sequentia monenda et praecipienda decernimus.

I. — Sacerdotes ministri amantissimi Domini qui in Sanctissimo Sacramento nos diu noctuque expectat, ut venia nos condonet, consolatione reficiat, amoris ulnis amplectatur, in publicis concionibus, in catechetica instructione, in poenitentiae administratione, in privatis quoque colloquiis, fideles ardenti zelo hortentur, atque commoveant ut quam frequentissime pro rerum suarum conditione possint, ad illum devote visitandum et adorandum concurrant. Absit ut, tepescentibus animis, ab hominibus deseratur, qui propter homines in altari residet, ut vitam habeant, et abundantius habeant (Ioann. 1, 9). Beatus ille populus, in quo piissima haec praxis vigeat visitandi augustissimum Sacramentum, tum venerationi publice propositum, tum in tabernaculo reservatum, et adeundi ad hunc thronum gratiae, ut misericordiam consequatur, et gratiam inveniat in auxilio opportuno (Hebr. 4, 16).

II. — Sciant tamen nihil ipsorum verba profutura, nisi operibus confirmantur, ideoque exemplo praeeant ministri Christi, ad eum ideo frequentissime accedant ut illuminentur (Ps. 119, 105), et tamquam

Moyses illuminatam mentem, imo et faciem habeant ex consortio sermonis Dei (Exod. xxxiv, 29). Pro hominibus constituuntur in iis quae sunt ad Deum (Hebr. v, S.); inter vestibulum ergo et altare orantes consistent, ut gratiam et misericordiam omnibus impetrent, vices eorum gerentes, qui, vel necessitate impediti, vel negligentia tepidi, ad adorandum Dominum numquam vel raro ad templum veniunt. Videantur a fidelibus prope tabernaculum in adoratione humiliter consistentes, et sic facilius trahentur et illi, dum eis dicant: ecce Deus noster; « venite adoremus, et procidamus ante eum: praeoccupemus faciem eius in confessione (Ps. xciv, 2), et hauriamus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris » (Isai. xii, 3). Laudem quidem merentur, et a Domino benedictionem accipiunt, qui cum possint, horas canonicas coram Sanctissimo dicunt.

III. — Nec ad persolvendum tantum adorationis, grati animi, amoris et fiducia pensum in frequenti SS^mi Sacramenti visitatione, sacerdotes verbo et exemplo populum excitent, sed etiam ore et opere doceant, pietatem, religionem, reverentiam ipsi exhibendam in verae fidei testimonium. Transeuntes, accedentes vel recedentes ab altari ubi Sanctissimum Sacramentum in tabernaculo clausum est, uno genu usque ad solum flexo adorare debent cum gravitate, reverentia et modestia. Quando vero expositum est, sive in pixide intra tabernaculum apertum, sive publice in throno, omnes cuiuscumque conditionis et gradus ante altare transeuntes, vel ab illo recedentes, utroque genu graviter ac devote genuflectere debent (S. R. C. 19 Aug. 1691). Curent etiam verbo pariter et exemplo piam praxim commendare detegendi caput, quoties ante

fores ecclesiae transitus fiat, domum Dei honorando, et augustissimum adorando Sacramentum.

IV. — Venerabilis Eucharistia nedum in cathedralibus et collegiatis ecclesiis asservari potest et debet, sed etiam in parochialibus quibuscumque, licet pauperibus (S. C. Conc. 22 Mart. 1694), adeo ut culpa gravetur parochus ille qui, etsi ad paucas horas, eam in sua ecclesia deesse patiat. Similiter habenda est in ecclesiis regularium utriusque sexus (S. C. Conc. 11 Maii 1614) atque in illis ubi cura animarum exercetur, cuiusmodi sunt filiales parochiarum, dummodo Missa frequenter saltem celebretur per sacerdotem adscriptum, qui ibidem constanter ministret, necnon in sacellis hospitalium et hospitorum puerorum et senum (S. R. C. 7 Maii 1857). Ceteris interdicitur nisi ex legitima et immemorabili consuetudine, vel ex privilegio apostolico id fecerint (Bened. XIV Const. *Quamvis*). In Ecclesiis Cathedralibus necnon in parochialibus amplioris magnitudinis, ubi plures celebrantur functiones sacrae et frequens populus ad communicandum accedit, duo haberi licet tabernacula, uti ex perantiqua consuetudine habentur, unum in capella quae longe distet ab altari maiori, in qua Corpus Christi asservetur pro communione fidelibus distribuenda, et pro infirmis reficiendis; alterum in quo obseretur ostensorium cum hostia maiori pro publica Sanctissimi Sacramenti expositione (Conc. prov. Vienn. 1858. — S. R. C. 5 Dec. 1868).

V. — Una saltem lampas ante tabernaculum diu noctuque coluceat (Rit. Rom. *De SS^mo Eucharist. Sacram.*), quae fidelibus advenientibus Deum praesentem annuntiet, atque ad adorandum invitet, illisque recedentibus, cultus et aliquam amoris professionem

exhibere pergat. Oleum ex olivis esse debet, quod si haberi nequeat, remittitur prudentiae Episcopi ut lampades nutriantur ex aliis oleis vegetabilibus (S. R. C. 9. Iul. 1864), ne umquam lumen deficiat, super quod sollicitudinem et vigilantiam parochorum, et ecclesiarum rectorum obtestamur, illorum conscientiam onerantes. Conc. Vallis. Tit. IV § III, IV De SS. Euchar.

VI. — Duplex SS. Sacramenti fit expositio; *privata*, seu sacrae pyxidis intra tabernaculum, eius ostiolo tantum aperto, et *publica*, seu Sacrae Hostiae in ostensorio insertae, et in throno solempni ritu exhibitae (Ben. XIV, Inst. xxx).

VII. — Ad privatam quod attinet, iusta et rationabilis causa sufficit parochi ad illam faciendam, absque necessitate veniam obtinendi (Ben. XIV, ad Card. Vicar. 27 Iul. 1755); et S. Caroli Borromaei exemplo innitentes, eam clero nostro commendamus fieri, praesertim diebus festis, et in publicis calamitatibus, aliisque fidelis populi necessitatibus. Episcoporum tamen erit instructionem efficere, ut digne peragatur quoad ritum servandum, lumina accendenda, incensum adolendum, et benedictionem in fine cum pyxide dandam, uti permitti posse declaravit nuperime Sacra Rituum Congregatio (16 Ianuar. 1886).

VIII. — Ad publicam vero seu solempnem expositionem quod spectat, ne ex ipsius nimia frequentia, nec Dei gloria augeatur, nec fidelium aedificatio fervorque promoveatur, non parochorum iudicio relicta est ab Ecclesia, sed episcoporum auctoritati commissum est in unaquaque Dioecesi id statuere quod magis oporteat (Ben. XIV, Const. *Accepimus*). Meminerint itaque rectores omnes ecclesiarum, etiam regularium, integrum ipsis non esse solempnem hanc SS^mi Sacra-

menti expositionem, cum libuerit, peragere, sed tempus, modum et ordinem ab Episcopo praescriptum retinendum esse (Id. Const. cit. et Epist. ad Cardin. Vicar. 27 Iul. 1755). Si qua autem peculiaris causa in aliqua ecclesia adsit ad expositionem faciendam praeter statutos et concessos dies, in singulis casibus, vel si ordinaria seu periodica fuerit, singulis annis venia ab Episcopo petenda erit. (S. R. C. pluries, et Clem. XIII, per Decr. S. C. Indulg. 13 Iul. 1765).

IX. — Quum a Summis Pontificibus saepius commendatam sciamus solempnem expositionem quae extremis bacchanalibus diebus et Quadraginta Horarum oratio appellatur, optamus, ut tam laudabile exercitium in omnibus populis, et in pluribus simul ecclesiis, celebretur, ad gravissimas reparandas iniurias, quibus divina Maiestas miserrimis illis diebus offenditur et ad impetranda coelestia auxilia, ne fideles temptationis tempore a Domino recedant. Facultatem itaque facimus hanc piam functionem ubique celebrandi, et parochi, ad excitandam devotionem, indulgentias a Summis Pontificibus (Clem. XIII, per decr. S. C. Indulg. 23 Iul. 1765) in eum finem concessas annuntient. Si pro locorum adiunctis, vel ob ecclesiarum penuriam per tot horas fieri expositionem difficile evaserit, saltem per aliquod tempus peragatur, vespertinis horis quae fidelibus commodiores censeantur.

X. — Decreta S. Sedis, praesertim in diuturna expositione praescribunt, ut altaris imagines tegantur (Inst. Clem. § III, n. 3 et 9. — § IV, n. 1. — S. R. C. 11 Mart. 1871), et ea tantummodo tolleratur detecta, quae principalem altaris, utpote eidem dicati, locum occupat, si agatur de festivitate Titularis (S. R. C. 27 Septembris 1828), ita tamen ut praecipuus ap-

paratus et honor semper divinissimo Sacramento tribuatur. Cum ratio harum praescriptionum sit, vitare ut fidelium mentes et oculi in Sanctorum imagines primario fixentur, unde minus attente ac devote Sacratissima Eucharistia adoretur, facile dignoscitur, non solum ab ipso altari expositionis amovenda esse, sed ne prope illud quidem, seu in cornu eiusdem collocari liceat.

XI. — Non semel a Sac. Rituum Congregatione praeceptum legimus, ne conciones habeantur Sanctissimo Sacramento exposito (S. R. C. 16 Februar. 1630. — 23 Sept. 1837. — Instr. Clement.). Volumus ergo, ut sicut aliis in Dioecesibus mos est, initio sermonis velo obtegatur SS^mum Sacramentum, nisi de eodem fuerit sermo vel de expositione agatur, quae Quadraginta horarum dicitur, et ut campanulae sonitu moneatur populus, tam in actu ostensorium occultandi, quam quum post concionem detegatur.

XII. — Si longiori tempore expositum remaneat, summa diligentia curandum est, ne, vel uno quidem momento, absque adoratoribus maneat, ad quod praesertim tenentur sacerdotes et clerici omnes, iuxta quod statuit Benedictus XIV, debere scilicet, duos, vel saltem unum superpelliceo indutum in presbyterio, in actu adorandi flexis genibus constanter permanere (Ben. XIV, Inst. xxx). Si omnino toto tempore adesse nequeant clerici parociae adscripti, quos omnes ad id obligatos declaramus, curet ecclesiae rector, ut duo saltem ex confratribus Sanctissimi Sacramenti adsint, qui numquam tamen prope altare, nec intra presbyterium consistant (S. R. C. 22 Ian. 1876).

XIII. — Serventur adamussim Rubricae in omnibus, quae pro expositione et repositione SS^mi Sacra-

menti praescripta sunt. Amoveri debent tabellae secretarum ab altari expositionis (Id. 20 Dec. 1864), nec non crux, nisi Missa celebretur: tunc enim unius cuiusque ecclesiae consuetudo servari potest (Ben. XIV Const. *Accepimus*. — S. R. C. 14 Maii 1797). In actu, seu functione expositionis cantetur prima strophae hymni, scilicet, *Pange lingua*; in repositione vero, *Tantum ergo*, et *Genitori*. Si diuturnior fuerit expositio, post stropham *Pange lingua*, et versum *Panem de coelo*, ante orationem (si dicatur) dici potest *Dominus vobiscum*. In actu repositionis nequit dici ante nec post orationem, cuius conclusio brevis esse debet (Caerem. Episc. Lib. II, cap. 33, n. 27. — S. R. C. pluries. Nuper 29 Mart. 1861). Sacerdos, qui in throno collocat, vel inde amovet ostensorium, stola uti debet (S. R. C. 12 Aug. 1854), non tamen humerali velo, tametsi ad posteriorem altaris partem ascendendum sit (S. R. C. 16 Dec. 1828. — 7 Dec. 1844). Benedictio cum SS^mo Sacramento in publica expositione semel tantum in die dari potest, in actu repositionis, praemisso hymno et oratione (Id. Iul. 1857), et in actu benedicendi populo, nihil omnino recitari, vel cani permittitur, quavis non obstante consuetudine: nil tamen impedit quominus, non quidem ante, sed statim post benedictionem, pius aliquis concinatur versiculus, patrio licet idiomate (Id. 16 Mart. 1833. — 3 Aug. 1839. — 26 Mart. 1859). Rursum in actu benedictionis thurificatio SS^mi Sacramenti minime praescripta est; potest tamen fieri a sacerdote assistente, vel thuriferario, ubi adest consuetudo (Id. 11 Sept. 1847. — 7 Dec. 1850. — 7 Sept. 1861).

XIV. — Quo cultus tam augusto mysterio debitus melius conservetur et crescat, impense optamus et

volumus, ut per parochos instituantur, vel potius resuscitentur aut accomodatius reformatur confraternitates SS^mi Sacramenti, tot indulgentiis a Summis Pontificibus nutritae et auctae, quae venerationis Sacratissimae Eucharistiae exhibendae curam gerant, vel adorando, dum proponitur colendum; vel comitando, dum in processione, aut ad infirmos defertur; vel media subministrando ad honorem tali ac tanto Salvatore dignum, quantum fieri poterit, splendido cultu externo contestandum. Optandum quoque foret, ut in civitatibus ac in praecipuis oppidis, consociationes instituerentur perpetuae, vel saltem diuturnae SS^mi Sacramenti adorationis, quae magno cum pietatis incremento pluribus in dioecesibus statutas esse constat, etiam in nostra provincia. Hoc enim assiduo adorationis studio eveniet ut fideles sibi gratulentur, illud nobis cum coelitibus commune esse, ut utrique Christum Dominum praesentem habeamus; sed quo uno gradu ab eis distemus, illi praesente beata visione perfruantur, nos praesentem et tamen ab oculorum sensu remotum sacrorum mysteriorum velamine se occultantem, firma et constante fide veneremur, ita tamen, ut aliquando revelata cernere facie, eiusque gloriae visu beatos futuros esse speremus (Catech. Rom. p. II, *De Euchar.* cap. 4, n. 36).

XV. — Ad cultum etiam sacratissimae Eucharistiae speciali modo persolvendum, constat praeterea pie et religiose in Dei Ecclesia inductum fuisse morem, ut, praecelsum hoc venerabile Sacramentum in processionibus reverenter et honorifice per sacra templa et alia loca ipsis annexa circumferatur, quo christiani, singulari ac rara quadam significatione, gratos ac memores testentur animos erga communem Domi-

num et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis eius victoria et triumphus repraesentatur (Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 5).

XVI. — Ne tamen hae processiones, vel sua frequentia vilescant, vel caerimoniis pro lubitu introductis, solemnitatis magnificentiam obnubilent, institui minime possunt, nisi statutis a iure vel ab Episcopo tempore et ritu.

XVII. — Primum locum inter omnes obtinet processio ab Ecclesia praescripta in festo SS^mi Corporis Christi. Festum hoc, et processio ubique celebrari oportet, atque ita optamus fieri, aut proprio solemnissimo ipsius die, aut eius octava perdurante, quum ab Ecclesia hi dies specialiter ad SS^mum Sacramentum solemniter adoratione colendum instituti fuerint. Attamen cum pluribus in locis nequeat illis diebus celebrari, Sacra Rituum Congregatio decrevit, ut ubi processio SS^mi Sacramenti in eius festo die, vel per octavam, ea qua decet solemniter pompa nequiverit haberi, designet Episcopus, pro suo arbitrio et prudentia, unicuique ecclesiae aliquam ex sequentibus Dominicis, in qua solemniter illa processio peragi possit (S. R. C. 8 Mart. 1749). Dum vero, ex antiqua saltem consuetudine, iam assignati sint dies ad hoc festum celebrandum, in ipsis fieri confirmamus, quin ad alios transferri possit sine proprii Episcopi licentia. Iis parochis, qui, extra octavam hoc festum celebrant notum facimus, Missam debere esse de Festo seu Dominica occurrente, cum commemoratione tantum SS^mi Sacramenti, nisi indultum apostolicum habeatur celebrandi de eodem augustissimo mysterio (S. R. C. 10 Sept. 1796. — 11 Sept. 1847), quod tamen ab Ordinario concedi nequit.

XVIII. — Etsi omnes sacrae supplicationes seu

processiones singulari pietatis sensu celebrari debeant, tamen splendidiori pompae apparatu, ac maiori religionis et venerationis affectu haec peragenda est. Itaque parochi, ea appropinquante solemnitate, fidelium animos ad illam sancte celebrandam excitent, eosque admoneant de indulgentiis quas lucrari possunt, atque hortentur, ut sacramento poenitentiae expiati, ad sacram mensam accedant, et assidue in pietatis operibus se exercent, Deo gratias agentes pro ineffabili beneficio, quo in sacra Eucharistia donati sumus. Servetur adamussim quidquid praescriptum est in Rituali Romano, tam in titulo *De processionibus* generatim, quam in speciali *De processione SS̄ni Sacramenti*, circa ordinem... et ornatum templi et aliorum locorum vicinorum ipsi inhaerentium per quae transitura sit supplicatio, atque summo studio vitetur et amoveatur omne quod turbas excitat, profanum sapit, et a Dei honore abhorret.

XIX. — Sanctissimum Sacramentum sub baldachino semper deferri debet (S. R. C. 12 Sept. 1840), et ab ipso celebrante, si processio fiat immediate post Missam vel officium (Caerem. Episc. Lib. II, cap. 33, Rit. Rom.). Omnes tam laici, quam clerici intorticia, seu candelas accensas quatenus id fieri possit, in manibus habeant (S. R. C. 22 Maii 1841), et summum praeseferant religionis sensum, psalmos et hymnos cantantes. « Videant in primis sacerdotes, aliique ecclesiastici ordinis, ut remoto risu, mutuoque colloquio et vago oculorum aspectu, populum etiam ad pie devoteque precandum invitent (Caerem. Ep. Lib. II, cap. 33, n. 4). Toleratur consuetudo immemorabilis in processione pausandi, et SS̄num Sacramentum super corporali extenso in altari seu mensa deponendi ad

thurificandum, atque impertiendi cum ipso benedictionem, quam non tamen ubicumque altare aliquod extructum sit dare licet, sed semel aut iterum (Rit. Rom. *De procession.*).

XX. — Praeter hanc solemnem processionem, nulla alia cum Sanctissimo Sacramento extra ecclesiam celebrari licet, nisi ex gravi et publica causa ab Episcopo recognita et approbata (S. R. C. 23 Sept. 1820. — 26 Mart. 1859). Intra Ecclesiam fieri potest in functionibus, quae Minervae appellantur, et quoties licentia data sit solemniter exponendi Sanctissimam Eucharistiam.

TITULUS IV.

DE CULTU SACRATISSIMI CORDIS IESU.

I. — Cultui SS̄ni Sacramenti iure merito iungamus oportet cultum Sacratissimi Cordis Iesu. Eximium hic cultus locum obtinet inter innumera beneficia, quae Ecclesiae contulit coelestis ipsius sponsus, qui, cum sit mediator Dei et hominum (I Tim. II, 5), per quem accessum habemus ad Patrem (Ephes. II, 18), Cor suum dedit in consummationem operum, ipsius cultum in Ecclesia institui et propagari volens, ut omnia traheret ad se ipsum, unde in adorantes Patrem cum ipso et per ipsum in spiritu et veritate, divitias misericordiae suae benignus effundat. « Quid enim gratius et acceptius Deo nostro esse poterit, quidve fidelibus magis utile, quam quod Sacratissimum Cor Filii sui dilecti, in quo sibi bene complacuit, speciali cultu veneremur, qui cum hostiam et oblationem noluit, corpus aptavit Filio suo, in quo Cor eius offeratur Deo Patri hostia in odorem suavitatis? Deus meus